
HW 1Z70 T


OJ
INTER·FOLIA·FRVCTVS

SOLEMNIA ANNIVERSARIA

GUILIELMI ERNESTI

VIMARIENSIUM QUONDAM DUCIS

DIE XXX MENSIS OCTOBRIS CELEBRANDA

INDICIT AD EAQUE INVITAT

COLLEGIUM PRAECEPTORUM

GYMNASII VIMARIENSIS

INTERPRETE

CAROLO GUILIELMO MÜLLERO,

THURINGO,

PHILOSOPHIAE DOCTORE.

Praemissa sunt nonnulla ad interpretandum carmen Simonidis de mulieribus inscriptum pertinentia.

JENAE,

TYPIS FRIDERICI FROMMANNI.

MDCCCXXXI.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Quaerenti mihi, de qua scriberem, argumentum Simonidis carmen, quod de mulieribus scriptum est, inter alia occurrit [1]), idque de quo dissererem aptum putavi, quum et multa offerret lectu dignissima, et non nimii ambitus esset, ut intra paucas plagulas ejus interpretatio absolvi posset, et ipse nonnulla ad id emendandum conscripta haberem, quae sperabam fore ut nonnulli probarent. Nactum quidem est hoc carmen jam ante quinquaginta annos interpretem Georgium Koelerum [2]), sed hujus libellus nunc non ita frequens est, et interpretatio ejus sic comparata, ut certo a paucissimis laudetur.

Ad interpretandum carmen primum necessarium esse videtur disquirere, utrum Simonides eam, qua utatur, fabulam de mulieribus ex animalibus ortis ipse invenerit, an ab alio jam inventam ad satyram scribendam adhibuerit; deinde veterum scriptorum testimonia sequutus de Simonide, hujus carminis auctore, agam; postremo carmini ipsi cum versione Germanica adjuncto nonnullas necessarias animadversiones subnectam.

Multae et variae in singulorum populorum mythologiis narrationes inveniuntur, quibus describitur, quomodo feminae creatae sint. Primae fabulae in sacris Judaeorum libris traditae considerandae sunt. Altera earum [3]), marem et feminam simul a Deo formatos esse, continetur, altera vero [4]), nonnullis rebus a priore differente, non simul marem et feminam creatos esse, sed priorem marem ex terra fictum, deinde feminam ex dor-

---

1) Hoc carmen apud Stobaeum invenitur in Florilegii cap. LXXIII, 61.

2) Simonidis carmen inscriptum περὶ γυναικῶν de mulieribus. Recensuit atque animadversionibus illustravit Georgius David Koeler. Praefixa est epistola Chr. Gottl. Heyne. Gottingae MDCCLXXXI.

3) Geneseos cap. 1. v. 26. 27.

4) Genes. cap. 2. v. 20—25.

mientis maris costa formatam. Hae duae narrationes inter omnes quidem notae sunt, sed illud minus constat, cur deus costam, non aliam partem, ex qua feminam fingeret, sumserit. Docti enim Judaei nullam aliam viri partem aptiorem affirmant, feminamque ex alia parte formatam multo pejorem futuram fuisse[5]); Cabbalistae vero etiam aliam in libris suis vel ab iis fictam, vel ex incognitis fontibus haustam fabulam memoriae tradunt. Marem et feminam dicunt primum ita creatos fuisse, ut eorum corpora essent conjuncta, vel potius ut ambo unum corpus efficerent. Deum deinde eos separasse et alteram partem primam feminam, alteram primum virum esse. Quam narrationem multi Judaeorum doctorum referunt[6]).

Apud Judaeos igitur tam antiquissimi, quam recentioris temporis haec recepta erat fabula, marem et feminam ex eadem materia esse fictos, aut feminam certe ex maris corpore esse formatam.

Graeci duas de mulierum ortu narrationes habent. Altera in Hesiodi theogonia[7]) reperitur, quae haec fere est: Jovem, quum Prometheum ob ignem raptum poena afficere vellet, deos virginem facere jussisse. Vulcanum igitur Pandoram ex terra finxisse, quam a Minerva vestimentis ornatam esse. Ab hac omne feminarum genus ortum esse. Altera, quae in Hesiodi poematis[8]) invenitur, fabula non feminas quidem, sed omnia mala a Pandora profecta esse memoratur. Mala enim a Prometheo in vas, quod in Epimethei domicilio positum est, collecta et inclusa, ne genus humanum ab iis urgeretur, Pandora, operculo sublato, liberat in hominesque diffundit[9]).

Multum ab Hesiodo recedit et orientalium similis est ea, quam

5) Deum noluisse ajunt Evam ex Adami ore fingere, ne בטפטנית vel דברנית garrula esset; neque ex oculis, ne esset סקרנית spectatrix omnium, neque ex auribus, ne esset ציתנית auscultatrix, neque ex corde, ne esset קנתנית suspiciosa sive proclivis ad zelotypiam; neque ex manibus, ne ממשמשנית furatrix esset, neque ex pedibus, ne esset פרסנית vagatrix, quae esse deberet custos domus. Vid. Librum Nizachaon Rabbi Lippmanni editum a Theodorico Hackspanio. Part. II, c. 3. §. 48. p. 437.

6) Histoire critique des dogmes et des cultes bons et mauvais de l'eglise par Ivrieu pag. 162.

7) Hesiod. Theog. 571 — 593.

8) Hesiod. ἔργ. κ. ἡμερ. 70 — 105.

9) Goettling. ad Hesiod. ἔργ. p. 143 et vv. dd. ibi laudati.

Plato in symposio [10]) de ortu hominum fabulam habet. Ab initio non duo sed tria hominum genera erant, primum masculinum ex sole ortum, secundum femininum ex terra, tertium mas et femina in unum corpus commissi, ex luna erant formati. Horum hominum figura rotunda erat; tergum et latera coagmentata, quatuor pedes, quatuor manus, unum caput cum duobus a se aversis oribus habèbant. Duo igitur homines erant in unum corpus copulati, quorum vis erat maxima. Qua de causa quum majorem spiritum haberent et diis ipsis bellum inferre conarentur, Jupiter, diu variis in animo consiliis volutis, quibus eorum superbiam frangeret, tandem id consilii cepit, ut conjuncta corpora dissecaret, quo et ferocia reprimeretur, et vis debilitaretur, et numerus duplicaretur. Hac sectione unum quisque os, duo brachia, duos pedes accepit. Sed simul Jupiter, se, si iterum homines superbirent, denuo in duas partes eos secaturum esse minatus est, ut uno pede irent, unum brachium haberent. Hac hominum inde ab origine conjunctorum separatione etiam factum est, ut alteram sui partem, a qua segregati sunt, quaerant eamque repertam intimo amore amplectantur. Qui pars sunt ejus corporis, quod ex duobus viris compositum erat, virorum consuetudinem et res serias amant; qui mixti corporis pars sunt, nunc diverso genere partem, viri mulieres, mulieres viros quaerunt.

Praeterea hominum creatio in Eddae Islandorum ea parte invenitur, quae Voluspad inscribitur [11]). In hoc antiquo carmine homines a Dvergis ex terra formati esse narrantur. Sed figura sola hominum a Dvergis ab initio profecta est, non anima eorum; nam porro memoriae proditur, tres Dvergos in regionem quandam advenisse ibique duos homines omnis motionis expertes, Ascum et Emblam invenisse; animum iis Odinum, Hoenerum rationem, sanguinem et venustam faciem Loederum dedisse. Secundum Eddam pedestri oratione scriptam Bori filii marem et feminam ex ligno formarunt [12]).

His fabulis mas et femina simul ex eadem materia formati narrantur, praeter quod apud Hebraeos ad feminam fingendam deus aliam rem adhibet. Utraque et Hebraeorum et Islandorum fabula, quum in libris ho-

10) Platonis Sympos. cap. 14. 15. 16.

11) Fabulae 10. 17. 18.

12) Fabula septima.

rum populorum sacris legantur, omnibus illarum gentium hominibus valuerunt. Aliter se res apud Graecos habet. Nam Hesiodus ipse homo tristis et severus suos mores et cogitandi rationem etiam carminibus expressit. Graeci vero, qui ejus aequales erant, nondum omnes ab iis viris, quorum facta Homerus celebravit, degenerasse videntur, ut eos Hesiodi cogitandi genus probasse ponere liceat. Quod de mulierum origine narrat, pariter non omnium Graecorum applausum tulit; quid, quod vix apud ullum alium scriptorem ejus rei mentio fit; at id certissime factum esset, si Hesiodi, ut Homeri, poesis omnibus Graecis probata fuisset. Hesiodi igitur fabula de mulierum ortu nunquam ab omnibus Graecis pro vera recepta fuit.

Platonis narratio, sive eam ipse finxit, sive ex antiquis et haud notis carminibus hausit, similis est illi fabulae, quam ex Judaeorum sapientium libris attuli. Quum Plato Aristophanem, ridicula cum gravitate quadam proferentem, eam faciat narrantem, quumque hic ut rem novam eam exponat, nullo modo apud Graecos pervulgata fuisse videtur. Omnino igitur apud Graecos nulla de origine mulierum recepta erat fabula, pro suo tamen quisque arbitrio eas finxit; nobisque concludere licet, eam fabulam, quam Simonides de mulieribus ex animalibus formatis habet, ab eo ad mulierum mores perstringendos inventam fuisse.

Ad hoc carmen recte intelligendum et aestimandum, necesse est de ejus auctore inquiramus. Et Stobaeus [13]) et Aelianus [14]), apud quem parvum hujus carminis fragmentum legitur, et Athenaeus, in cujus deipnosophistis unus versus invenitur [15]), carmen Simonidi, neque patris neque patriae nomine adjecto, assignant. Quamquam apud nullum alium scriptorem mentio hujus carminis ita fit, ut de auctore certiores fiamus, tamen persuasum mihi est, Simonidem, cui Samio vel Amorgino vel jambographo cognomen inditum est, id finxisse. Nam Simonides Ceus saepissime lyricus nominatur, vel ita mentio de eo injicitur, ut ex contextu orationis appareat, lyricum esse intelligendum. Simili modo nomini Simonidis Crinei filii, ubi jamborum versus adjectus est, non aliud cognomen additum invenitur, quo

13) Stobaei florileg. cap. 73. p. 52. ed. Gaisfordi.
14) Aelianus de natura animalium lib. 16. cap. 24.
15) Athen. deipnos. lib. V. p. 179. d. p. 214. ed. Schweigh.

clarum fiat, uter intelligendus sit, quum veteres persuasum habuisse videantur, adjectum jambum satis indicare, uter Simonidum significetur.

Quae quum ita sint, carmen, de quo agitur, ad Simonidem jambographum referendum est, cujus de aetate pauca in animo est adjicere [16]).

Simonides, patre Crineo in insula Sami natus, haud ita multo post Olympiadum initium vivens [17]), nonnulla juvenis gessit, quibus sibi inter patriae cives auctoritatem quandam pareret, ut coloniae in insulam Amorgum mittendae praeficeretur. Hac colonia tres hujus insulae urbes Minoa, Aegialus et Arcesime non conditae, sed incolis, qui deficiebant, auctae sunt [18]). Domicilio deinde in Amorgi urbe Minoa posito cognomen Amorgini acce-

16) De Simonide jambographo egerunt: Koeler l. l. p. 1. 2. sed ita, ut ab aliorum judicio tantum pendeat. Petrus Gerardus Dukerus in dissertatione de Simonide Ceo poeta et philosopho. Trajecti ad Rhen. 1768. pag. 18. 19. de iis tamen locis tantum loquitur, ubi Simonidi nomen Musici additum est. Videtur praeterea discrimen inter Amorginum et Musicum statuere. Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis. Parisiis 1664. p. 206. 207. qui multo melius scripsit, quam qui post ejus aetatem vixerunt. Gerardus Joannes Vossius de veterum poetarum temporibus. Amstelodami 1654. Hic vir quum omnia magna cum sagacitate tractat, tum etiam ea, quae de Simonide p. 14. 60. habet. Fabricius in Bibliotheca Graeca Tom. II. p. 150. ed. Harlesii. cum prudentia non magna ea, quae ad Simonidem pertinent, scripta sunt. De Boissy in libro Gallice scripto: histoire de Simonide, et du siecle où il a vecu; avec des eclaircissemens chronologiques. A Paris MDCCLV. p. 272. Altera hujus libri editione multis partibus aucta et emendata mihi uti non contigit.

17) Olympiade XXI, 2. Suid. s. v. Σιμωνίδης, Κρίνεω, Ἀμοργῖνος, ἰαμβογράφος, ἔγραψεν ἐλεγείαν ἐν βιβλίοις β', ἰάμβους· γέγονε δὲ καὶ αὐτὸς μετὰ τετρακόσια καὶ ἐννενήκοντα ἔτη τῶν Τρωϊκῶν· ἔγραψεν ἰάμβους πρῶτος αὐτὸς κατά τινας. Boissy l. l. pag. 273. apud Suidam alium invenisse videtur numerum; secundum eum enim Suidas Simonidis aetatem CCCCVI annis post Trojam deletum ponit. Recte vero hic vir Suidam in tempore definiendo Eratosthenis sequi rationem adnotat, qui Trojam CCCCVII annis ante primam Olympiadem expugnatam esse docuerat. Boissy pag. 270. 278.

18) Haec omnia, quae de Simonide coloniae Amorgum insulam missae duce narrantur, conjectura quidem, sed ea probabili Joannis Gerardi Vossii (de poetis Graecis pag. 60.) nituntur. Apud Suidam enim s. v. Σιμμίας haec inveniuntur: Σιμμίας Ῥόδιος γραμματικός· ἔγραψεν γλώσσας, βιβλία γ', ποιήματα διάφορα, βιβλία δ'. ἦν δὲ τὸ ἐξ ἀρχῆς Σάμιος, ἐν δὲ τῷ ἀποικισμῷ τοῦ Ἀμοργοῦ ἐστάλη καὶ αὐτὸς ἡγεμὼν ἀπὸ Σαμίων. ἔκτισε δὲ Ἀμοργὸν εἰς γ' πόλεις Μινωὰν, Αἰγιαλὸν, Ἀρκεσίμην. γέγονε δὲ μετὰ υστ' ἔτη τῶν Τρωϊκῶν. ἔγραψε κατά τινας πρῶτος ἰάμβους, καὶ ἄλλα διάφορα, ἀρχαιολογίαν δὲ τῶν Σαμίων. Inde a verbis: ἦν δὲ τὸ ἐξ ἀρχῆς plura iis conveniunt, quae Suidas de Simonide narrat, quam ut dubitare possimus, quin omnia ad eum pertineant, et verba Σιμωνίδης Ἀμοργῖνος exciderint. Quam conjecturam Panofka quoque de rebus Samiorum pag. 24. probat, sed pro sua eam proponit dicens: „Creuzer de art. histor. Graec. pag. 66. et Voss. de historic. Graecis duos Simmias fuisse putant, haud videntes titulum Σιμωνίδης omissum ante vocem ἦν δέ." — Secundum haec verba Suidae Simonides 84 annis ante eam aetatem vixit, cui s. v. Σιμωνίδης eum assignat. Diversitas lectionis ex litteris orta est, quae numerorum vice funguntur; nam στίγμα significat VI, κόππα LXXXX. Utraque littera ob formae similitudinem facile commutari potuit. Legendum igitur: γέγονε δὲ μετὰ τετρακόσια καὶ ἐννενήκοντα ἔτη, ne Nestoreos annos vixerit.

pit[19]). Circa Olympiadem vigesimam omnes fere Graeci poetae operam arti musicae impendentes musicam ipsam et instrumenta musica perfecerunt, quin Olympiade vigesima sexta primum citharistarum certamen Olympiae institutum est. Simonides igitur, qui carminibus sibi non multum aetate profectus jam gloriam peperisse videtur, etiam in musicae studio otium consumsit, tantumque profecit, ut nonnunquam musicus nominetur[20]) et Plinio teste[21]) citharae octavam chordam addiderit.

Praeterea de vita et familia ejus nihil constat, at conjici potest, eum nobili loco natum esse[22]) et uxorem odio, quod in omnes feminas susceperat, commotum non duxisse[23]).

Suida referente Simonides jambos invenit, et eximiam nactus est laudem carminibus satyricis, in quibus jamborum metro usus est. Jonica dialecto, quae Sami[24]) et Amorgi insulis recepta erat, haec carmina erant scripta, qua de causa poetae jambos satyricos componentes hanc Samiorum

19) Strabon. libr. 10. cap. 5. p. 391. edit. Tauch. ἔστι δὲ καὶ Ἀμοργὸς τῶν Σποράδων, ὅθεν ἦν Σιμωνίδης, ὁ τῶν ἰάμβων ποιητής. Stephan. Byzantin. de urbibus s. v. Ἀμοργός. Ἀπὸ τῆς Μινώας ἦν Σιμωνίδης ὁ ἰαμβοποιὸς Ἀμοργῖνος λεγόμενος. Eustath. ad Dionysii perieges. vers. 526. ἡ Ἀμοργός, ἐξ ἧς Σιμωνίδης ὁ ἰαμβοποιός, Ἀμοργῖνος ἐντεῦθεν λεγόμενος cet. Hinc corrigendus est Tzetzes, ut multa lectione haud indoctus, ita judicio et pulcritudinis sensu expers, qui in Chiliad. I, vers. 619.

ἢ Σιμωνίδης Σάμιος υἱὸς ὁ τοῦ Ἀμόργου.

et Chiliad. XII, vers. 51.

εἴ τε τὸν τοῦ Ἀμόργου δὲ τὸν Σάμιον ἐκεῖνον.

putat, patrem Simonidis jambographi nomen Amorgi habuisse.

20) Eusebii chronic. can. pag. 142. Olympiad. XXIX. Ἀρχίλοχος καὶ Σιμωνίδης καὶ Ἀριστόξενος οἱ μουσικοὶ ἐγνωρίζοντο. Et Eusebii chronic. poster. lib. p. 142. ab Hieronymo verso: „Archilochus et Simonides et Aristoxenus musicus insignes habentur.“ Ita enim C. Salmasius ex codd. mss. correxit in exemplari in bibliotheca Vimariensi asservato. Cyrillus Alexandrin. contra Julianum libr. I. pag. 12. C. edit. Spanhemii. εἰκοστῇ τρίτῃ ὀλυμπιάδι φασὶ γενέσθαι Ἀρχίλοχον, τὰ Ἰουδαίων κράτη διέποντος Μανασσῆ· εἰκοστῇ ἐννάτῃ ὀλυμπιάδι Ἱππώνακτα καὶ Σιμωνίδην φασὶ γενέσθαι καὶ τὸν μουσικὸν Ἀριστόξενον.

21) Plinii histor. natur. VII, 56. „Citharam (invenit) Amphion, ut alii Orpheus, ut alii Linus. Septem chordis additis Terpander, octavam Simonides addidit, nonam Timotheus.“ Quum Terpander Marmore Pario testante Olympiade XXX vixerit, Simonides, qui ejus inventum correxit, post eam Olympiadem adhuc vita fruitus est. De Simonide Ceo hic cogitare non licet. Tzetzes in chiliad. XII, vers. 49. dubitat, num Simonides Amorginus, an Ceus longas vocales ή et ώ invenerit. Quum ex virorum doctorum disquisitionibus certum sit, Ceum Simonidem earum inventorem esse (cf. Petri Gerardi Dukeri de hac re disquisitionem l. l. cap. 4.), nihil adjicio.

22) Nam hac fortasse de causa coloniae deducendae praepositus est.

23) Omnino, qui nullam duxerunt uxorem nescio quomodo brevi tempore aut odium in feminas concipiunt earumque irrisores fiunt, cujus rei testes sunt, qui satyras in feminas scripserunt Juvenalis, Pope Anglus, Boileau Francogallus; aut immodicis laudibus eas ornant, quod Hippel fecit.

24) Herodot. I, 182. Panofka rer. Sam. p. 85. 86.

linguam adhibuerunt [25]. Quamquam enim apud Athenaeum [26] Simonidis senarium Dorica dialecto, ex Casauboni conjectura, compositum invenimus [27]: tamen praeferenda est ea lectio, quam Schweighaeuser recepit [28].

Si conclusionem ex fragmentis, quae supersunt, facere licet, in versibus ipsis componendis non tam severus sibi fuit, quam posterioris temporis Graeci. Nam in jambicis trimetris acatalectis, sive Latinorum senariis, componendis etiam in secunda dipodiarum parte sive in paribus locis, contra ceterorum poetarum consuetudinem [29], spondeum admisit, eumque in anapaestum solvit [30].

Quae quum ita sint, multum quidem ab Archilochi et ceterorum jambographorum elegantia abfuit, sed nihilominus cum Archilocho et Hipponacte optimus jamborum poeta habitus ab Alexandrinis grammaticis in canonem receptus est [31], ejusque ut Homeri, Hesiodi, Archilochi, Mimnermi, Phocylidis carmina a rhapsodis in theatris decantata sunt [32].

---

25) Epicharmus ex Ceo insula ortus iisdem verborum formis atque Simonides utitur. v. c. uterque ovum ὤεον nominant Athen. II. pag. 57. d. squillas χωρίδας non χαρίδας Athen. III. p. 106. e.

26) Athenaei lib. XI. pag. 460.

27) Ex Casauboni conjectura sic senarius legitur:

ἀπὸ τραπεζᾶν εἷλέ νιν ποτήρια.

28) ἀπὸ τράπεζαν εἷλέ νιν ποτήρια, pocula ei mensam abstulerunt, i. e. bibendo rem familiarem ita absumsit, ut quod comederet, non jam haberet. Haec lectio praeterea uno codice fulcitur. Vid. Schweighaeuseri adnotationes.

29) Hermanni elementa metrica pag. 105.

30) Apud Athenaeum libr. XIV. p. 659. f. coquus de se praedicans dicit:

καὶ ὡς ἄφευσα χ' ὡς ἐμίστυλα κρέα
εἰδώς· τί καὶ γὰρ οὐ καλῶς ἐπίσταμαι.

In reliquis Simonidis fragmentis v. καλῶς priorem syllabam producit, vid. περὶ γυναικ. vers. 87. et cf. vers. 67. Sententia versuum impedit, quominus vulgarem retineamus lectionem: οὐ κακῶς ἐπίσταμαι. Anapaestus in carmine περὶ γυναικ. invenitur vers. 43, 50. et in impari loco vers. 22.

31) Photii bibliothecae cod. 239. excerpta ex Procli chrestomathia grammatica contin. pag. 319. ed. Bekker. Ἰάμβων δὲ ποιηταὶ Ἀρχίλοχός τε ὁ Πάριος ἄριστος, καὶ Σιμωνίδης, ὁ Ἀμόργιος ἢ ὡς ἔνιοι Σάμιος, καὶ Ἱππώναξ ὁ Ἐφέσιος, ὧν ὁ μὲν πρῶτος ἐπὶ Γύγου, ὁ δ' ἐπ' Ἀνανίου τοῦ Μακεδόνος . . . ἤκμαζεν. Macedonum rex Ananius vel Ananias non notus est; intelligendus est eorum quintus rex Argeus inde ab olympiad. 24. usque ad olympiadis 34 annum primum regnans (Eusebii chronic. can. pag. 141 et 143.), cujus mentio a Justino quoque facta in Philippicarum historiarum libri 7 capite 2. Boissy l. l. p. 279. cet ecrivain Grèc, inquit, assure dans les extraits de Photius, que le Simonide né à Amorgos, ou à Samos, comme quelques-uns le prétendoient, et qui avoit composé des Jambes, fleurissoit en même temps qu' Archiloque, lorsque Gygès regnoit à Lydie. Hic vir itaque aut errat, aut, ut jam supra, aliam sequutus est lectionem. Fortasse haec omnia in altera editione mutata sunt. Priorem editionem diu a me desideratam petenti mihi bibliothecae Gottingensis custos humanissime misit. Simonidem et Archilochum aequales fuisse Clemens Alexandrinus narrat Stromat. libr. I. pag. 398. ed. Potter.

32) Athenaei libr. XIV. pag. 620. d. Λυσανίας δ' ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἰαμβοποιῶν Μνασίωνα

Secundi carminis, quod duorum librorum spatium implebat, *elegiae*, mentio apud Suidam fit, sed nulla, quod equidem scio, fragmenta tempori delenti erepta sunt.

Simili modo etiam tertii carminis, *archaeologiae Samiorum*, ut ex

ῥαψῳδὸν λέγει ἐν ταῖς δείξεσι τῶν Σιμωνίδου τινὰς ἰάμβων ὑποκρίνεσθαι. Lysanias, quo Athenaeus teste hoc narrat, ab Joanne Gerardo Vossio haud recte inter scriptores incertae aetatis refertur. Suidas enim s. v. Ἐρατοσθένης memoriae prodit, praeceptores hujus doctissimi philosophi Aristonem Chium, Lysaniam Cyrenaeum et Callimachum poetam fuisse; quumque Eratosthenes ab olympiade 126

ΠΕΡΙ ΓΥΝΑΙΚΩΝ.

Χωρὶς γυναικὸς θεὸς ἐποίησεν νόον
τὰ πρῶτα· τὴν μὲν ἐξ ὑὸς τανύτριχος,
τῇ πάντ' ἀν' οἶκον βορβόρῳ πεφυρμένα
ἄκοσμα κεῖται, καὶ κυλινδεῖται χαμαί·
αὐτὴ δ' ἄλουτος, ἀπλύτοις τ' ἐν εἵμασιν,
ἐν κοπρίῃσιν ἡμένη πιαίνεται.
Τὴν δ' ἐξ ἀλιτρῆς θεὸς ἔθηκ' ἀλώπεκος
γυναῖκα πάντων ἴδριν· οὐδέ μιν κακῶν
λέληθεν οὐδὲν, οὐδὲ τῶν ἀμεινόνων.
τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἐστι πολλάκις κακὸν,
τὸ δ' ἐσθλόν· ὀργὴν δ' ἄλλοτ' ἀλλοίην ἔχει.
Τὴν δ' ἐκ κυνὸς λιτουργοῦ αὐτομήτορα,
ἣ πάντ' ἀκοῦσαι, πάντα δ' εἰδέναι θέλει·
πάντῃ δὲ παπταίνουσα καὶ πλανωμένη
λέληκεν, ἢν καὶ μηδέν' ἀνθρώπων ὁρᾷ.
παύσειε δ' ἄν μιν οὔτ' ἀπειλήσας ἀνὴρ,
οὐδ' εἰ χολωθεὶς ἐξαράξειεν λίθῳ
ὀδόντας, οὐδ' ἂν μειλίχως μυθεύμενος,

ejus argumento concludere licet versibus hexametris scripti, nulla supersunt fragmenta.

Praeterea ejus *varia scripta* vel *carmina* nominantur [33]), ad quae nullo modo epigramma in Sophoclis mortem factum, quod Fabricius Simonidi Amorgino adscribere vult [34]) referendum est.

---

ad 146 vixerit, non errabimus, si Lysaniam, quadraginta annis majorem natu cum discipulo facientes olympiade 116 posuerimus. Vixit itaque Lysanias 315 annis ante Christ. nat.

33) Suidas s. v. Σιμμίας recepta Vossii conjectura.

34) Fabricii bibliothecae Graecae Tom. II. p. 150. edit. Harlesii. Omnino Fabricius non recte Simonidem Amorginum post Olympiadem LXXXII putat vixisse.

DIE FRAUEN.

Anfangs erschuf der Frauen Geist verschieden Gott;
Er bildete die eine aus langborst'gem Schwein.
Es liegt im Hause kothbesudelt, ordnungslos
Ihr alles, und es wälzt sich an der Erd' herum.
Sie selber aber, in dem ungewaschnen Kleid,
Sitzt ungereinigt auf dem Schmutz und mästet sich.
  Die andre schuf aus ränkevollem Fuchse Gott
Zur Frau, die alles kennt; nichts von dem Bösen ist
Ihr, auch nichts von dem Bessern jemals unbekannt.
Denn, was sie thut ist öfters bös, zuweilen gut;
Bald hat sie diese, und bald eine andre Gier.
  Die eine macht' er aus dem Hund, der alle hasst,
Und gleich dem Hunde will sie alles hör'n und sehn.
Nach allen Seiten schauet sie und irrt umher
Und belfert, selber wenn sie keinen Menschen sieht.
Sie brächte wohl der Mann zum Schweigen nicht durch Drohn,
Nicht wenn er einschlüg zürnend ihr mit einem Stein
Die Zähne, selbst auch nicht wenn er sie sanft ansprach,

οὐδ' εἰ παρὰ ξείνοισιν ἡμένη τύχοι·
ἀλλ' ἐμπεδῶς ἄπρηκτον αὐόνην ἔχει.
Τὴν δὲ πλάσαντες γηΐνην Ὀλύμπιοι,
ἔδωκαν ἀνδρὶ πονηρόν· οὔτε γὰρ κακὸν,
οὔτ' ἐσθλὸν οὐδὲν οἶδε τοιαύτη γυνή·
ἔργον δὲ μοῦνον ἐσθίειν ἐπίσταται·
κοὔτ', ἂν κακὸν χειμῶνα ποιήσῃ θεὸς,
ῥιγῶσα δίφρον ἆσσον ἕλκεται πυρός.
Τὴν δ' ἐκ θαλάσσης ἐν φρεσίν γ' ἤδη νόει.
τὴν μὲν γελᾷ τε καὶ γέγηθεν ἡμέρην.
ἐπαινέσει μιν ξεῖνος ἐν δόμοις ἰδών·
Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆςδε λωΐων γυνὴ
ἐν πᾶσιν ἀνθρώποισιν, οὐδὲ καλλίων.
τὴν δ', οὐκ ἀνεκτὸς οὐδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν,
οὔτ' ἆσσον ἐλθεῖν, ἀλλὰ μαίνεται τότε
ἄπλητον, ὥσπερ ἀμφὶ τέκνοισιν κύων.
ἀμείλιχος δὲ πᾶσι κἀποθυμίη
ἐχθροῖσιν ἶσα καὶ φίλοισι γίγνεται.
ὥσπερ θάλασσα πολλάκις μὲν ἀτρεμὴς
ἕστηκ' ἀπήμων, χάρμα ναύτῃσιν μέγα,
θέρεος ἐν ὥρῃ, πολλάκις δὲ μαίνεται
βαρυκτύποισι κύμασιν φορευμένη.
ταύτῃ μάλιστ' ἔοικε τοιαύτη γυνὴ
ὀργήν· φυὴν δ', ὡς πόντος, ἀλλοίην ἔχει.
Τὴν δ' ἐκ σποδίης τε καὶ παλιντριβέος ὄνου,
ἣ σύν τ' ἀνάγκῃ σύν τ' ἐνιπῇσιν μόγις
ἔρεξεν ὧν ἅπαντα, καὶ πονήσατο
ἀρεστά. τόφρα δ' ἐσθίει μὲν ἐν μυχῷ
προνὺξ, προῆμαρ, ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρῃ·
ὅμως δὲ καὶ πρὸς ἔργον ἀφροδίσιον
ἐλθόνθ' ἑταῖρον ὀντινοῦν ἐδέξατο.
Τὴν δ' ἐκ γαλῆς δύστηνον οἰζυρὸν γένος·
κείνῃ γὰρ οὔ τι καλὸν οὐδ' ἐπίμερον
πρόσεστιν, οὐδὲ τερπνὸν, οὐδ' ἐράσμιον·

Nicht auch wenn sie von Ungefähr bei Fremden sitzt.
Sie redet ohn' Aufhören fort und ohne Ziel.
Aus Erde ward gebildet von den Himmlischen
Die andre Frau und an den Mann zur Last geschenkt.
Sie weiss ja nichts vom Bösen noch vom Guten auch;
Ein einziges Geschäft, das Essen, kennet sie.
Sie ziehet, selber nicht wenn bösen Frost erregt
Ein Gott, sich frierend hin den Sessel an den Heerd.
Die aus dem Meere ward gemacht betrachte jetzt.
An einem Tage lacht sie, und ist frohen Muths;
Der Fremde lobt sie, wenn er sie zu Hause sieht.
Nicht unter allen findest du ein andres Weib,
Das besser oder schöner wär', als dieses ist.
Am andern ist sie unerträglich, nicht zu schaun.
Ihr Umgang unausstehlich, endlos wüthet sie
Dann, wie die Hündinn wegen ihrer Jungen thut.
Unsanft und unversöhnlich ist für jedermann
Sie dann auf gleiche Weise, für den Freund und Feind.
Es ruhet so unaufgereget oft das Meer,
Und fügt nicht Schaden zu, den Schiffenden zur Lust,
Zur Zeit des Sommers; öfters aber wüthet es
Und stürzt sich hin mit starkem Schall des Wogenschlags.
Ja! diesem gleicht in ihrer Gier solch eine Frau;
Ihr Aeussres aber scheinet anders, gleich dem Meer.
Die eine aus gefrässgem Esel, der gar oft
Geschlagen ward; durch Zwang und Drohn vollführet sie
Kaum Alles, und kaum machet sie, was wohlgefällt.
Indessen isset sie den Tag, die Nacht hindurch
Bald in dem Winkel sitzend, bald am Feuerheerd.
Doch nimmt sie jeden Freund gar willig auf, der kommt
Zu ihr, um Liebeswerke mit ihr zu vollziehn.
Die aus dem Wiesel; schlecht und elend ist die Art.
Denn sie besitzt nichts schönes, nichts, wornach man strebt,
Nichts, was ergötzet wohnt ihr bei, nichts liebliches;

εὐνῆς δ' ἀδειὴς ἐστιν ἀφροδισίης,
τὸν δ' ἄνδρα τὸν παρόντα ναυσίῃ διδοῖ.
κλέπτουσα δ' ἔρδει πολλὰ γείτονας κακὰ,
ἄθυτα δ' ἱρὰ πολλάκις κατεσθίει.
Τὴν δ' ἵππος ἁβρὴ χαιτήεσσ' ἐγείνατο,
ἣ δούλι' ἔργα καὶ δύην περιτρέπει·
κοὔτ' ἂν μύλης ψαύσειεν, οὔτε κόσκινον
ἄρειεν, οὔτε κόπρον ἐξ οἴκου βάλοι,
οὔτε πρὸς ἰπνὸν ἀσβόλην ἀλευμένη,
ἵζοιτ', ἀνάγκῃ δ' ἄνδρα ποιεῖται φίλον·
λοῦται δὲ πάσης ἡμέρης ἀπὸ ῥύπον
δὶς, ἄλλοτε τρὶς, καὶ μύροις ἀλείφεται·
ἀεὶ δὲ χαίτην ἐκτενισμένην φορεῖ,
βαθεῖαν, ἀνθέμοισιν ἐσκιασμένην.
καλὸν μὲν ὦν θέαμα τοιαύτη γυνὴ
ἄλλοισι· τῷ δ' ἔχοντι γίγνεται κακὸν,
ἢν μή τις ἢ τύραννος, ἢ σκηπτοῦχος ᾖ,
ὅστις τοιούτοις θυμὸν ἀγλαΐζεται.
Τὴν δ' ἐκ πιθήκου· τοῦτο δὴ διακριδὸν
Ζεὺς ἀνδράσιν μέγιστον ὤπασεν κακόν·
αἴσχιστα μὲν πρόσωπα· τοιαύτη γυνὴ
εἶσιν δι' ἄστεος πᾶσιν ἀνθρώποις γέλως·
ἐπ' αὐχένα βραχεῖα κινεῖται μόγις,
ἄπυγος, αὐτόκωλος. ἆ τάλας ἀνὴρ,
ὅστις κακὸν τοιοῦτον ἀγκαλίζεται.
δήνεα δὲ πάντα καὶ τρόπους ἐπίσταται,
ὥσπερ πίθηκος, οὐδέ οἱ γέλως μέλει.
οὐδ' ἄν τιν' εὖ ἔρξειεν, ἀλλὰ τοῦθ' ὁρᾷ,
καὶ τοῦτο πᾶσαν ἡμέρην βουλεύεται,
ὅκως τι χ' ὡς μέγιστον ἔρξειεν κακόν.
Τὴν δ' ἐκ μελίσσης· τήν τις εὐτυχεῖ λαβών.
κείνῃ γὰρ οἴῃ μῶμος οὐ προσιζάνει·
θάλλει δ' ὑπ' αὐτῆς κἀπαέξεται βίος·
φίλη δὲ σὺν φιλεῦντι γηράσκει πόσει,

Nach Liebeslager strebt sie ohne Scheu und Schaam,
Erregt dem Manne, der ihr beiwohnt, Ueberdruss;
Den Nachbarn fügt sie stehlend vieles Böse zu,
Und zehret oft die ungeweihten Opfer auf.
Die andre stammt vom glanzvoll, mähnenreichen Ross;
Der Mägde Werk und schweres Thun verdirbet sie;
Nicht fasset sie die Mühle an, nicht hebt sie auf
Das Sieb, nicht wirft sie aus dem Hause fort den Koth,
Noch setzet sie sich ans Kamin aus Scheu vor Russ.
Durch Zwang nur machet sie sich ihren Mann zum Freund,
Doch wäschet sie sich jedes Tags zweimal den Schmutz
Vom Leib, oft dreimal, und sie salbet sich mit Oel.
Die Haare aber trägt sie immer schön gekämmt,
In dichter Füll', umwunden mit dem Blumenkranz.
Dem Fremden ist es ein Vergnügen solche Frau
Zu sehen, ihrem Mann jedoch wird sie zur Pein,
Wenn er nicht Herrscher oder Hochgestellter ist,
Der sich erfreut an solcherlei in seinem Geist.
Die aus dem Affen. Zeus hat diese offenbar
Den Männern als das grösste Unglück zugesellt.
Am hässlichsten ist ihr Gesicht, von jedermann
Wird sie bespöttelt, wenn sie durch die Stadt hingeht.
Da kurz ihr Hals ist, so bewegt sie kaum den Kopf,
Fleischlos sind ihre Glieder. Weh! dem Unglücksmann,
Der solche böse Missgestalt mit sich verband!
Doch jede List und Lebensweise kennet sie
Dem Affen gleich, um Spott bekümmert sie sich nicht.
Nicht ob sie einem wohlthut — darauf sieht sie stets,
Und dieses überleget sie den ganzen Tag,
Dass Unglück sie, und wie sehr grosses sie erregt.
Die aus der Biene. Wer sie wählt ergreift das Glück,
Denn nur bei ihr allein verweilet nicht der Spott.
Es blüht und mehrt sich unter ihr das Lebensgut,
Und liebend, von dem Mann geliebet altert sie,

τεκοῦσα καλὸν κοὐνομάκλυτον γένος·
χαριπρεπὴς μὲν ἐν γυναιξὶ γίγνεται
πάσῃσι, θείη δ' ἀμφιδέδρομεν χάρις·
οὐδ' ἐν γυναιξὶν ἥδεται καθημένη,
ὅκου λέγουσιν ἀφροδισίους λόγους.
τοίας γυναῖκας ἀνδράσιν χαρίζεται
Ζεὺς τὰς ἀρίστας καὶ πολυφραδεστάτας.
Τὰ δ' ἄλλα φῦλα ταῦτα μηχανῇ Διὸς
ἔστιν τε πάντα, καὶ παρ' ἀνδράσιν μένει.
Ζεὺς γὰρ μέγιστον τοῦτ' ἐποίησεν κακὸν,
γυναῖκας· ἤν τι καὶ δοκῶσιν ὠφελεῖν,
ἔχοντί τοι μάλιστα γίγνεται κακόν·
οὐ γάρ κοτ' εὔφρων ἡμέρην διέρχεται
ἅπασαν, ὅστις σὺν γυναικὶ πέλεται·
οὐδ' αἶψα λιμὸν ἐκ δόμων ἀπώσεται,
ἐχθρὸν συνοικητῆρα, δυσμενέα θεόν.
ἀνὴρ δ' ὅταν μάλιστα θυμηδεῖν δοκῇ
κατ' οἶκον, ἢ θεοῦ μοῖραν, ἢ ἀνθρώπου χάριν,
εὑροῦσα μῶμον ἐς μάχην κορύσσεται.
ὅκου γυνὴ γάρ ἐστιν, οὐδ' ἐς οἰκίην
ξεῖνον μολόντα προφρόνως δεχοίατο.
ἥτις δέ τοι μάλιστα σωφρονεῖν δοκεῖ,
αὕτη μέγιστα τυγχάνει λωβωμένη,
κεχηνότος γὰρ ἀνδρός· οἱ δὲ γείτονες
χαίρουσ' ὁρῶντες καὶ τὸν, ὡς ἁμαρτάνει.
τὴν ἣν δ' ἕκαστος αἰνέσει μεμνημένος
γυναῖκα, τὴν δὲ τοὐτέρου μωμήσεται.
ἴσην δ' ἔχοντες μοῖραν οὐ γιγνώσκομεν.
Ζεὺς γὰρ μέγιστον τοῦτ' ἐποίησεν κακὸν,
καὶ δεσμὸν ἀμφέθηκεν ἄῤῥηκτον πέδῃ,
ἐξ οὗ τε τοὺς μὲν Ἀΐδης ἐδέξατο,
γυναικὸς εἵνεκ' ἀμφιδηριωμένους.

Nachdem sie ein Geschlecht geboren, schön, berühmt.
Sie zeichnet sich vor allen Frauen herrlich aus,
Und ist von heil'ger Liebenswürdigkeit umstrahlt.
Es macht ihr kein Vergnügen unter Fraun zu seyn,
Wenn Liebessachen sie verhandeln im Gespräch.
Ja! diese Fraun, die besten und verständigsten,
Ertheilte Zeus den Männern zu als ein Geschenk.
Die anderen Geschlechter aber sind durch Zeus
Auch all' entstanden, und sie bleiben bei dem Mann.
Denn Zeus hat, als das grösste Uebel Fraun gemacht;
Selbst auch, wenn Nutzen sie gewähren nach dem Schein,
Sind sie zum Unglück meistens dem doch, der sie hat.
Denn niemals bringet einer hin den ganzen Tag
Mit heiterm Muthe, der sich einer Frau verband.
Noch wehret schnell vom Haus' er sich den Hunger ab,
Den feindlichen Gesellen, bösgesinnten Gott.
Und wenn der Mann am meisten sich zu freuen scheint
Im Haus durch Gottesschickung oder Menschengunst,
Ersinnt sie Stoff des Zanks und rüstet sich zum Streit.
Wo nämlich eine Frau im Haus' ist, nehmen sie
Nicht willig auf den Gastfreund, welcher kommt.
Jedoch die, welche klug zu seyn am meisten scheint,
Die pfleget wohl die grösste Schmäherinn zu seyn,
Wenn unachtsam der Mann. Die Nachbarn freuen sich
Wenn dieses sie erblicken, und wie sehr er fehlt.
Die eigne Gattinn lobt, sie nennend, jedermann,
Und wird dagegen schmähen auf des andern Frau.
Ein gleiches Schicksal habend merken wir es nicht;
Denn Zeus hat als das grösste Uebel dies gemacht,
Und Fesseln, die nicht lösbar sind, uns angelegt.
Aus diesen nahm Aides ein'ge zu sich auf,
Die Kämpfe rings erregten wegen einer Frau.

Quum Simonidem inde ab Olympiade 20 usque ad 30 vixisse demonstrasse mihi videar, in interpretando ejus carmine neque Jacobsii multa sagacitate et doctrina institutas disquisitiones de mulierum apud Atticos conditione [1]), neque Meinersii [2]) et Alexandri [3]) libros de historia mulierum scriptos adhibere possumus. Hi duo viri non satis critice de re egerunt et varia confuderunt. Simonidis aetate feminarum mores iis adhuc similes fuerunt, qui Homeri Cyclicorumque aetate vigebant. At hi egregie a Lenzio expositi sunt, cujus libro via ad hoc carmen interpretandum optime munita est [4]).

Simonidis carmen non integrum ad nos pervenit, sed et ab initio, et in medio carmine non pauca desunt. Fortasse iis, quae ab initio desunt, poeta de corruptis mulierum moribus questus est, deinde, ut causam hujus corruptionis afferret, fabulam de mulierum ex animalibus formatarum origine adjecit.

Vers. 1 — 6.

χωρὶς — τὰ πρῶτα) De horum verborum sententia Koeler haud recte judicavit, aut potius omnino animi dubius est, quid significent. Si totum carmen spectas, nulla amplectenda est interpretatio, nisi Grotii, qui vertit: „non unam feminae mentem finxit deus." Omnia, quae Koeler contra hanc interpretationem profert, facili negotio refelluntur. χωρὶς enim pro voc. diversus positum apud alios quoque scriptores haud raro legitur. Euripid. Alcest. vers. 528. χωρὶς τό τ' εἶναι καὶ τὸ μὴ νομίζεται. Plutarch. de sanitat. tuend. praec. cap. 1. χωρὶς γάρ, ἔφη, τὰ φιλοσόφων καὶ ἰατρῶν, ὥσπερ

---

1) Vermischte Schriften von Friedrich Jacobs. Tom. IV. pag. 159. usque ad fin.

2) Geschichte des weiblichen Geschlechts. Tom. I. p. 313. sqq. loquitur de mulierum Graecarum moribus.

3) Alexander history of women. 1779. In Germanicam linguam versus est liber Lipsiae 1780 et 1781.

4) Geschichte der Weiber im heroischen Zeitalter von Carl Gotthold Lenz. Hannover. 1790.

τινῶν Μυσῶν καὶ Φρυγῶν, ὁρίσματα. Ποιεῖν vero cum adverbio conjunctum apud Graecos saepe invenitur, ubi nos, pro Latinorum dicendi ratione, adjectivum exspectamus. Thucydid. 2, 83. λεπτὰ πλοῖα ἐντὸς ποιοῦνται (quod exemplum Koelero debeo) cf. Bernhardy syntaxis linguae Graecae pag. 337. Porro Koeler non habet, quo singularem γυναικὸς interpretetur, putatque, ob varios feminarum mores, qui indicentur, etiam pluralem γυναικῶν ponendum esse. Singulari, qui praecipue in tota similium rerum classe significanda saepe adhibetur, poetae ibi utuntur, ubi res multis communes clare tanquam una nominantur. Aristophan. Lysistrat. 101. εὖ γὰρ οἶδ', ὅτι πάσαισιν ὑμῖν ἐστιν ἀποδημῶν ἀνήρ. ubi de singularum feminarum viris singularis vocis ἀνήρ positus est; deinde singuli viri nominantur, vers. 102. ὁ γοῦν ἐμὸς ἀνήρ. vers. 104. ὁ δ' ἐμός γε. vers. 105. ὁ δ' ἐμός γα. Quae quum ita sint, neque γυναικῶν neque γυναῖκας cum Koelero legendum est. Deus, qui feminas fecit, Jupiter est, cf. vers. 72. 93. 96. Exspectatur igitur ὁ θεός; sed quum lingua Simonidis epicae similis sit, in qua articulus non eam vim, quam apud Atticos, habet, sed idem valeat atque pronomina demonstrativa, nihil est mutandum.

Prima igitur femina, de qua Simonides loquitur, ex sue facta est, moresque hujus animalis habet; nam omnia tota domo squalore obducta et corrupta sunt, ad solum alterum super altero sine ordine jacent; ipsa immunda et illotis vestimentis amicta, nihil agens pinguescit. Recepi Valckenaerii et Gaisfordi emendationem ἀπλύτοις τ' ἐν εἵμασιν pro vulgari lectione ἄπλυτός τ' ἐν. Non solum ipsa vero et vestimenta illota sunt, sed etiam in loco sordido ἐν κοπρίῃσιν sedet. Pluralis, qui hic invenitur, non pro singulari positus est, sed potius ad varia squaloris et sordium genera significanda adhibitus. Etiam Plato in Phaedone (p. 110. A. pag. 185. ed. Tauchn.) pluralem synonymi vocabuli βόρβορος habet: σήραγγες δὲ καὶ ἄμμος καὶ πηλὸς ἀμήχανος καὶ βόρβοροί εἰσιν, ὅπου ἂν καὶ ἡ γῆ ᾖ. ἡμένη ut nostrum *sitzen*, Latinum *sedere* idem valet, atque segnem, desidem esse.

Vers. 7—11.

Descriptio callidae et versutae simulque inconstantis mulieris, quae ex vulpe facta est. Vulpes ἀλιτρὴ nominatur, quae feminini generis forma in Lexico Passowiano deest, neque tamen in se habet, quod vituperari possit. Nam se-

cundum observationem a Buttmanno et aliis propositam, adjectiva, quae adjecta syllaba ρος formantur, tres terminationes ad tria genera significanda habent: κυδρὸς, οἰκτρὸς, αἰσχρὸς cet.; inter ea etiam, quae in μος, ιος, αιος, ειος exeunt, generisque communis, quod dicitur, sunt, multa tres terminationes habent. Homer. Iliad. ά, 3. ἰφθίμους ψυχάς. Iliad. λ', 55. ἰφθίμους κεφαλάς. Sed Iliad. έ, 415. ἰφθίμη ἄλοχος. Lycurg. in Leocrat. ab init. Δίκαιον καὶ εὐσεβῆ — τὴν ἀρχὴν τῆς κατηγορίας ποιήσομαι. Ibid. p. 143. ed. Reisk. ποιήσομαι δὲ κἀγὼ τὴν κατηγορίαν δικαίαν et. pag. 144. μὴ δικαίαν τὴν κατηγορίαν ποιεῖσθαι. 'Αλιτρὸς h. l. non scelestum et facinorosum sed δόλιον vel δολερὸν versutum, ut jam apud Homer. Od. έ, 182. significat. Talis igitur femina omnia et bona et mala scit. Simonides vero non ἀγαθὰ sed ἀμείνονα posuit, quod vim positivi auget. Nos pro hoc comparativo utimur positivo ipso adjectis vocibus *recht*, vel *ziemlich*. Vid. Bernhardy l. l. p. 433. non igitur ad κακὰ respicitur, ut quasi ea, quae nunc faciat, malis meliora sint; sed haec femina si animum ad bona adverteret et recte agere vellet, alias feminas superaret, iisque melius ageret In hac femina praecipue inconstantia vituperanda est, qua de causa poeta adjicit: ὀργὴν δ' ἄλλοτ' ἀλλοίην ἔχει. Vocabulum ὀργὴ ab ὀρέγω derivandum hic propria significatione, quae est vehemens cupiditas, invenitur. In his verbis ο non necessaria radicis pars, sed praefixa potius syllaba est, ut in ὄνομα (nomen, Name). Radix r — k vel r — g *rectum* significat et obliquo opponitur: regere, richten, Recht, dirigere, regnum, Reich, recken, strecken, φρῖκος, φρῖγος, frigus, ῥάχις, gallice rocher, angl. rock, Brocken, Rigi. vide: Die Sprachwurzeln, ihre Gemeinschaftlichkeit, Zahl, Art und Bedeutung pag. 88.

Vers. 12 — 20.

In eam animadvertit feminam, quae linguae intemperans rerumque novarum cognoscendarum cupida est, quam ortam esse fingit ex cane λιτουργῷ i. e. qui contra totum populum (λέϊτος, λεῖτος), contra omnes agit. Vocabulum veteres grammatici non recte interpretantur κακὰ λέγων, quod non iis vocibus respondeat, ex quibus adjectivum λιτουργὸς compositum est. Vid. de h. v. Valckenaer. ad Ammonii part. II. p. 111. ed. Lips. 1822. Praeterea mutavi lectionem λιτοργὸν vel λιτουργὸν, quae in editionibus invenitur, in λιτουργοῦ. Nam etsi nomen canis ejusque composita et derivata

κυνάμυια, κύνεος, κυνιστί, κυνοβλώψ, κυνοθαρσής, κυνολέσχης, κυνοφθαλμίζω, κυνόφρων, κυνώπης a veteribus Graecis saepe ad impudentiam significandam adhibentur: tamen etiam fides sagacitasque canis, et alia bona, quae ab natura habet, iis cognita fuerunt. Cf. Aelian. de natura animal. VII, 40. Ut igitur asino (vers. 43.) et equo (vers. 57.) adjectiva addita sunt, ut significetur, qualis ille asinus, ille equus, ex quibus feminae formatae sint, fuerint, sic etiam hic, ne feminam ex fido dominique amante cane formatam esse putemus, adjectivum exspectatur. Etiam id, quod feminae additum est adjectivum, postulat, ut ad canis naturam clarius significandam vocabulum adsit. Nam αὐτομήτωρ is nominatur, qui in omnibus rebus ut mater sua agit, ejusque mores habet. Quodsi huic matri (i. e. cani) nullum adjectivum adjungeretur, femina ex cane facta omnes quoque virtutes canis habere debet.

Huic emendationi aliam a me infra vers. 53 factam adjiciam. In cod. et apud Trincav. legitur ἀληνής, quae vox, quum sensu careat, a Brunckio et ceteris editoribus in ἀδηνής mutata est. Ἀδηνείη secundum Hesychium (apud quem ἀδεινείη scribitur) ἀπειρία est; ἀδηνής igitur ἄπειρον significat, vel potius, quum a v. δήνεα derivandum sit, eum, qui consilia capere nescit, qui non callidus, non versutus est. Mirandum est, a Simonide feminae vitio verti, quod in rebus venereis versuta non sit. Quum emendatio facilis sit, rejeci v. ἀδηνής, recepique ἀδειής. Vocabulum terroris quidem proprie expertem, inpavidumque significat, sed etiam impudentem (Homer. Od. τ, 91: πάντως, θαρσαλέη, κύον ἀδδεές. Iliad. θ, 423.); ἀδειής igitur εὐνῆς ἀφροδισίης ea nominatur, quae impudica est. Haec emendatio et interpretatio fabula fulcitur, quae apud Aelianum de natur. animal. lib. XV, 11. legitur. Ibi feminam aliquando nomine Gales fuisse memoriae proditur, incantationum et veneficii peritam, immodice protervam et incesta libidine laborantem, quam ab Hecate in mustellam mutatam esse. Apud eundem etiam ναυσίη vocabulum interpretationem inveniet. Nam σπλάγχνα δὲ γαλῆς, inquit Aelianus, φιλίαν, ὡς λόγος, διΐστησι καὶ ἡνωμένην τέως εὔνοιαν διακόπτει.

Paucis verbis mea versus 43 versio defendenda est. σποδίη enim ὄνος reddidi per voces vorax asinus. Salmasius in exercitationibus Plin. p. 181. E. v. σπόδιος interpretatus est per v. gilvus vel cinericius, qui color in equis

deterrimus haberetur testante Virgilio (Georg. 3, 83. color deterrimus albis, et gilvo.) Quam interpretationem Koeler sequutus est; Heyne vero (in praefatione ad Koelerianam hujus carminis editionem pag. XXII.) putat σπόδιον cinericium non gilvum significare. Brunck (ad Sophoclis Oedip. Colon. 371) legit τὴν δ' ἐκ τέφρης τε καί cet. In colore asini vituperium ejus quaerere nemini in mentem venire debebat, praecipue quum adjectivum asini exspectetur, quo clarum fiat, cur feminae ex asino factae voraces sint; σποδεῖν vero, ut φλᾶν cum cupiditate edere, vel devorare significat (vid. Passowii Lexic. Gr. s. v.), inde etiam σπόδιος voracem significare potest, ad quod probandum tamen exempla desunt. Quodsi cui, ob hunc exemplorum defectum, haec interpretatio non placeat, legat σποδεούσης καὶ παλιντριβέος ὄνου. Παλιντριβὴς non de asino labore fatigato fractoque intelligendum, sed de eo, qui ob pigritiam saepe vapulabat.

Sed haec jam sufficiant, ad idque transeam, quod hanc scribendi opportunitatem mihi peperit. Solemnia anniversaria, quae die XXX mensis Octobris in memoriam GUILIELMI ERNESTI, Vimariensium quondam Ducis, instituta celebrabuntur, indicenda sunt. Quae ut recte et ex sententia Gymnasii nostri fundatoris illius liberalissimi fiant, primum in templo, quod dicitur, aulico conveniemus, deumque adorabimus, deinde pompa solemni in Gymnasium redibimus, et circiter horam X antemeridianam in auditorio majore Theoph. Frider. Guilielmus *Harnisch* Buttstadiensis oratione persuadere conabitur, *laudabile inprimis illud genus liberalitatis esse, quod in scholis ad juventutis eruditionem condendis collocetur.*

Quae solemnia ut VOS, VIRI EXCELLENTISSIMI, PERILLUSTRES, GENEROSISSIMI, SUMMORUM COLLEGIORUM PROCERES, PATRONI ET FAUTORES GYMNASII MAXIME SPECTABILES, praesentia VESTRA ornare splendidaque reddere velitis, ea, qua par est observantia, rogamus.

Scripsi Vimariae die XVIII Octobris mensis MDCCCXXXI.

14



